AUGUSTINUS HENRICUS FASCHIUS, D.

Anatom. Chirurg. ac Botanices Prof. Publ. & Archiater,

hodie

FACULTATIS MEDICÆ X. DECACUS

S. P. D.

BENEVOLO LECTORI!

NUnquam excelsa absque periculis. Nunquam tuta culmina! Summas dignitates summa semper expectare pericula, excelso in loco positi capitis exemplo omnibus exponitur.

Dudum quidem à Galenicis ac Peripateticis disputatum fuit, cerebrum cordi, an cor cerebro præferendum sit?

Nos jam omnes declinaturi ambages, utriusque dignitatem excelsam, utriusque etiam ad vitam ducendam necessitatem admiramur potius, quàm ut alteri aliquid detrahamus.

Certè capitis dignitas nulli alii in totô corpore cedit parti, sed potius hujus ab altiori sede in œconomiam microcosmicam tantum est imperium, ut quicquid prudentis judicii ac sapientis consilii operâ in hâc caducâ valle peragitur; hujus regimini debeatur soli. Nam *ὑπερέχει δ᾽ οὐ μόνον ἡ κεφαλὴ τοῦ λοιποῦ τοῦ σώματος, ἀλλὰ καὶ τῇ χρείᾳ, καθάπερ τις κυβερνήτης καὶ δεσπότης ἁπάντων αὐτῷ ἑπομένων.* *Non sollùm caput locò superat corpus, sed totum etiam ceu gubernator reliquum regit, & imperator.* Imperium autem tale in quasvis corporis exerit partes, ac per nerveos admirabili industriâ fabricatos argenteos canales promtissimè exequitur caput, spiri-

tibus animalibus foecundum, qui quò feretiores, eò expeditiùs suum absolvunt negotium, quò impuriores, serenitate carentes, majus portendunt periculum.

Quemadmodum autem globus in summitate expositus, injuriâ aut temporum, aut aliâ fatalitate pejori in istô vertice infestatur, ita, quamvis suis honoribus eaxplendescat caput, adeoque tutissimo loco situm videatur, spirituum animalium officina, animæ sensitivæ domicilium, nervorum principium, sine quibus nec cernere aliquid oculi, nec audire aures, nec moveri manus possunt, attamen nemo erit, qui inter tot generum bona ipsi etiam graviora parata esse deliquia, imò ruinam, non confirmet, capite enim affecto, reliqua corporis membra debilitari, in confesso est. Modò enim vertigine infestatur, modò epilepsiâ excruciatur, convulsionibus tentatur, maniâ in furorem excitatur, melancholia occupatur, modò soporosis morbis gravatur, ut vix inveniat, quò se liberet, aut contra tantos arcis microcosmicæ infensissimos hostes defendat, remedium.

Longè verò omnium horibilior & plane deploranda est apoplexiâ tactorum conditio, qui ceu fulminis ictu percussi aut victimæ adinstar violentam expertæ securim corruunt in momento, ἄφωνοι, sensu, motuque privati, solum stertorosi, via trahentes spiritum, caudicibus similes.

Inopinatus autem hic est hostis, subitaneas vitæ struens insidias, cujus genium & causas prolixius pro-

proponet simulque remedijs probatissimis eundem adgredietur in disputatione sua Inaugurali Clarissimus

JOHANNES GLOSEMEYER, artis medicæ Doctorandus dignissimus.

Cujus vitæ ac studiorum ratio nunc expendenda erit.

Is verò natales suos ad pomeranos *Stargardiæ* Anno æræ Christianæ M DC LXIV. VI. Non. Octobr. refert. Pater ipsius Vir integerrimus, *Georgius Glosemeyer*, civis ac Mercator, Mater verò *Elisabetha Lanzowen* in prælaudata civitate ex Dei benignitate adhuc sunt superstites.

Jam statim à tenerâ infantiâ domesticis duobus præceptoribus, iisque fratribus, Reverendis *Jacobo* & *Michaeli Pagenkopfiis*, nunc Pastoribus; paulò pôst verò minoris, ceu vocant, scholæ patriæ Collegis fuit traditus, quibus se morigerum usque ac diligentem præstitit, sive publicâ sive privatâ eorum informatione frui contigeret.

Ab his digressus scholam alteram majorem frequentare cepit, & ut Græca pariter ac Latina, in utroque scribendi genere addisceret, præceptores CLmi *Jo. Wetterich*, Sub Rector, *Christianus*

straniis Antid., Con-R. & M. *Nic. Benedictus Passiba*, Rector, conatus Nostri egregiè promoverunt.

Anno ætatis suæ XVII. ad magis seria propendebat, unde dignus existimatus in numerum alumnorum Gymnasii *Groningiani* receptus fuit, ubi auspiciis Lectorum ac Professorum, præcipuè maximè reverendi D. *Georgii Schwarzii*, Prof primarii, ad D. Johannis Pastoris, & Præpositi, neque minus Cl. M. *Davidis Hollazii* aliorumque virorum Clarissimorum, quorum ope, præter humaniora exercitia, quæ pro virili in utroque stylo excoluit, publicis actibus oratoriis aliquoties commonstravit, Arabicæque linguæ notitiam sibi comparavit & simul optima Theologiæ, Logicæ, Metaphysicæ, Ethicæ politicesque jecit fundamenta. E pluribus autem summoperè ac gratâ mente obstrictum *Hollazio* & *Wetterichio* se fatetur, quorum meritis ac fidâ curâ ad quævis honesta adolevit.

Sic tandem unanimi consensu Parentum atque Doctorum, academicis acroasibus vacare allubuit, ac habitâ oratione valedictoriâ de *Laudibus Medicinæ* Anno M DC LXXXV d. IV. Maii Wittebergam concessit ibidemque Rectori t. t. Magnifico, B. D. *Gothofredo Straussio* nomen suum professus, in eô tunc totus fuit, qui privata collegia conjungeret publicis, & ideò D. *Jeremiæ Losii* ac *Johannis Thile*, Professorum Medicinæ

dicinæ famigeratissimorum, nunc beatorum, ductum graviter sectatus est

Magis tamen privatissimè instrui laboravit à Nob. Amplisf. atque experientissimo *D. Christiano Vatero*, Physico ibid. provinciali clarissimo, ipsique per triennium constanter operam suam addixit, atque, dum abitum moliebatur, sub ejus præsidio specimen academicum de motu spirituum animalium per nervos Anno M. DC. LXXXVII strenuè defendit.

Anno præterlapso Lipsiense adiit Emporium, ubi parrallatritate publicis æque ac privatis Magnifici, Nobilissimorum, Experientisf. atque Excellentissimorum artis medicæ Professorum, D. *Gothofredi Welschii*, Senioris, *D. Pauli Ammanni*, *D. Mart. Frisii*, & speciatim *D. Joh. Bohnii* prælectionibus practicis, botanicis, chirurgicis, anatomicis interfuit.

Denique hujus anni Vere Salanam quoque Nostram salutavit & præter publicas Nobilisf. Excellentisf. atque experientissimi *D. Georgii Wolfg. Wedelii* lectiones, ipsius quoque privata, epistolarum scilicet, formulatum & disputatorium collegia notabili cum emolumento visitavit. Neque Meas in botanicis scholas neglexit.

Quibus omnibus ad finem feliciter perductis, honores Doctorales suasu suorum ambire constituit. Quare etiam Facultati Nostræ non ita pridem Nomen suum dedit & ad examina

con-

consueta admitti decenter expetiit, quæ etiam cum laude omnia sustinuit, & hinc DOCTVRA dignus judicatus fuit.

Antequam vero hanc publicè capiat, dissertationem suam inauguralem de Apoplexiâ sub præsidio CRAVSIANO perendiè d. V. Nov. publico exponet examini.

Ut vero hunc actum disputatorium Magnificus Dn. Pro-Rector, omnium ordinum Professores ac Doctores, nostræque artis Fautores honorificò ac amico adfectu prosequi ac beare velint, nomine Facultatis officiosè ac peramanter rogo. Dab. Jenæ A. O. R. M. DC. LXXXIX. Octobr. III.

